

res (§. §. IV - IX.) Sequitur ideo *adesse rationem sufficientem, cur anima modo noxias, modo salutare in corpore producat mutationes.*

§. XIII.

Ad nosmet ipsos attenti comperimus, aliam menti nostræ inesse mutationem, si bonum; aliam si malum aliquod sibi repræsentat. Etenim sub repræsentatione boni, tanquam sibi boni, mentem nostram singulari quodam ac jucundo sensu perfundi, in eaque conatum quendam tale bonum obtinendi, seu inclinationem quandam ad rem sic sibi repræsentatam, quam *adpetitum* vocamus, nasci experimur. E contraria vero parte, quam primum anima malum quoddam, tanquam sibi malum sibi repræsentaverit, oriri in ea conatum quendam malum illud avertendi sive reclamationem a re sic sibi repræsentata, quam *aversationem* dicimus, eadem duce experientia observamus. Ex quibus igitur manifestum est, quod Philosophi recte præcipiant, dari *legem adpetitus*, quæ nil aliud est, quam sequens regula in ipsa mentis humanæ natura satis alte fundata: *quidquid appetimus, appetimus sub ratione boni; quidquid aversamur, aversamur sub ratione mali.*

§. XIV.

Si quis ad ea animum suum paulo curatius direxerit, quæ in morbis sponte fieri solent, eaque omnia rite perpenderit, ille non poterit non intelligere, *ferri in corpore nostro motus, qui ut plurimum ita comparati sunt, ut eorum ope morbi propulsentur (a).* Eadem  
fida